

*ionaliter approbatæ, etiam Donationes in eos factas evertit concedimus: ergo ad alias causas contra expressum Juris textum non est extendenda revocandi licentia.*

60 Confirmitur: Lex poenalis, qualis est concedens facultatem revocandi Donationes, non debet, nec potest extendi ad casus in Jure non expressos, etiam ob paritatem vel majoritatem rationis, ut habet communis, *arg. L. 42. ff. de Penis, juncta Leg. 15. & 49. de Reg. Jur. in 6. Ex quo argumento corrumpit fundamentum Adversariorum à paritate rationis desumptum. Nec subsistit Ratio Abbatis Donatarium cum filio comparantem; quia in Jure non fundatur. Pari- ter non obstat, quod sententia Adversariorum æquitati naturali sit multum conformis; quamvis enim in omnibus rebus præcipuum esse æquitatis quam stricti Juris rationem velit Jura l. Placuit. C. de Judicis. & l. In omnibus. ff. de Regulis; tamen quia hæc juris dispositiones solum de æquitate Juris scripta sunt intelligendæ, juxta dicta Lib. I. Tit. 2. n. 416. & Rigor Juris (scriptis præteratur æquitati non scriptæ, ipso etiam tenente Abbate lo. cit. expressè scripta Juris dispositio l. fin. C. de Revocand. Donat. omnino attendi debet: quod videlicet Donatio ob solos quinquæ specificatos ingrati- tudinis casus revocari valeat.*

61 Resp. III. Ad hoc, ut Donator cum effectu revo- care valeat Donationem ob ingratitudinem Donarii, debet prius ingratitudinem commissam actione inlitu- ta legitime probare, & Judicis expectare sententiam, antequam ingratus Donatarium donatum re- stitueret non tenetur, *textu claro l. fin. C. de Revocand. Donat. ibi: Ex his (ingratitudinis) causis, si fuerint in iudicium dilucidis argumentis cognitionaliter appro- bate. Molina lo. cit. n. 5. Pirhing h. t. n. 36. & alii.*

62 Resp. IV. Potestas revocandi Donationem ob in- gratitudinem competi soli Donatori, non item hære- dibus ejus; & quidem contra solum Donatarium, non verbò contra hæredes illius. Abbas in c. fin. h. t. n. 4. Molina lo. cit. n. 3. Barbosa in c. fin. h. t. n. 23. Engel h. t. n. 20. Pirhing eod. nu. 38. & communis aliorum. Prior pars clarè patet ex c. fin. h. t. ibi: Quod tamen ad Donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores, & l. fin. C. de Revocand. Donat. ubi etiam secunda pars probari videtur, illis verbis: Hoc tamen usque ad primas personas tantummodo stare censemus, nulla licentia con- cedenda Donatoris successoribus &c. etenim si ipse qui hoc passus est (ingratitudinem nempe) tacuerit, silentium ejus maneat semper, & non à posteritate ejus suscitari concedatur, vel adversus eum qui ingratus esse dicitur, vel adversus ejus successores. Concordat, atque utram- que partem probat l. His solis. 7. C. de revocand. donat. ibi: Nec in hæredem datur, nec tribuatur heredi.

63 Ratio Conclusiois est, quia actio hæc confurgit ex delicto & injuria Donarii; atque injuriarum actio neque hæredi, neque in hæredem datur. l. Injuriarum. 13. prin. ff. de Injuriis. & peccata tenent suos Autores. l. Sanchezus. 22. C. de Penis. Hinc si Donator, quam- diu vixit, tacuit, nullamque ob Donarii ingratitudi- nem movit actionem, hæredes ejus nihil amplius mo- vere possunt; semel autem lite contestatâ, hæc actio- nem etiam ad successores pertinere, verbis expressis ha- betur cit. l. Injuriarum. 13. prin. ff. de Injuriis. in quo casu eadem actio etiam contra hæredes Donarii da- tur. l. un. C. Ex delict. defuncti. ibi: Post lites con- testationem &c. successores in solidum, alioquin in quan- tum ad eos pervenit, conveniri, absolutissimi Juris est: ratio additur; ne alieno scelere dantur.

64 Imò competit hæredi Donatoris actio contra Do- natarium, & hæredes ejus, etiam si Donator absque lite contestatâ decesserit, casu quo ingratitudinem igno- ravit Donator, vel ad agendum tempus non habuit, vel impeditus fuit &c. Abbas lo. cit. numer. 7. Joan. Andreas ibid. Sylvestr. §. Donatio. I. q. 14. Pirhing

h. t. n. 38. Engel eod. n. 20. & alii: argumento à con- trario desumpto ex c. fin. h. t. & l. fin. C. de Revocand. Donat. in quo utroque loco dicitur, si Donator tacuit, non competere actionem hæredibus: ergo si non ta- cuit, competit: non dicitur autem facere aliquid ille, qui id ignorat, aut loquendi seu agendi non habet tem- pus, vel aliunde impeditur, c. fin. de Dilat. & c. Cum in veteri. 52. de Electione.

Resp. V. Dantur casus in quibus nec Donator, nec hæredes ejus Donationem ob ingratitudinem Do- natarii revocare possunt. Probatur inductione. Primò enim Donatio facta Ecclesie, Monasterio, vel aliis piis locis, revocari nequit propter ingratitudinem Prælati, vel Capituli, vel utriusque simul, vel Ad- ministratoris. Barbosa in c. fin. h. t. num. 15. Clarus §. Donatio. q. 2. n. 5. citans communem. Pirhing. h. t. n. 37. Azorius lib. 11. cap. 8. q. 5. & alii contra Abbatem in c. Verum q. n. 3. de Condit. apposit. ubi docet tunc saltem revocari posse, si Prælati & Capitulum simul sint ingrati. Ratio autem nostræ conclusionis est; quia quod Ecclesie, causisque piis donatur, censetur prin- cipaliter donatum Deo, ut proin non Prælati, vel Capitulum, necambo simul, licet Ecclesiam repræ- sentent, sed ipse Deus sit donataris, qui nunquam ingratus est.

Secundò, Donatio remuneratoria, vel ob causam facta revocari ob ingratitudinem Donarii non potest. Abbas in c. fin. h. t. n. 11. Clarus lo. cit. nu. 4. Molina Disp. 281. num. 12. Barbosa lo. cit. num. 17. Pirhing lo. cit. n. 37. Engel h. t. ad fin. & communis aliorum. *arg. l. Si Pater. 34. & l. Aquilius. 27. ff. h. t. Ratio est; quia Donatio remuneratoria, vel ob causam, non est proprie Donatio, cum non sit merè liberalis, uti su- præjam num. 3. probatum est. Si tamen Donatio ex- cederet merita, quoad excessum ob ingratitudinem revocari posset. Pirhing. lo. cit. & alii. Ratio est; quia quoad excessum est merè liberalis, consequenter pro- pria Donatio.*

Tertio, Donatio facta, ratione dotis, ob ingratitudinem revocari non potest, l. Si dotem. 24. C. de Jure dotium. & l. fin. C. de Dotis promiss. ibi: Liberalitas talis maneat vera & irrevocabilis.

Quarto revocare non valet Donator rem à tertio, cui eam Donataris jam vendidit, donavit, permu- tavit &c. Engel h. t. num. 20. Harprecht in §. 2. In- stit. h. t. n. 167. Pirhing h. t. num. 36. Zoëlius arg. l. His solis. 7. C. de Revocand. Donat. Ratio est; tum quia actio revocatoria ita personalis est, ut contra tertium non datur; nisi forsitan in fraudem alienasset rem donatam, sciente eo, in quem alienatio facta est; cum fraus & dolus nemini patrocinetur: notis Juribus: tum ne illi, ad quem res legitimo titulo pervenit, delicto præjudicetur alieno.

Resp. VI. Secunda causa principalis revocandi Do- nationem est, si quis liberis carens, omnia sua bona, vel majorem, aut dimidiam, vel notabilem partem donet, & postea unam, vel plures liberos acquirat, *textu claro, l. Si unquam. 8. C. de Revocand. Donat. ibi: Si unquam liberis parvorum filios non habens, bona omnia, vel partem aliquam facultatum fuerit Donatione largitus, & postea susceperit liberos, totum, quidquid largitus fuerat, revertatur, in ejusdem Donatoris arbi- trio ad ditionem mansurum. Quamvis enim textus tan- tum de Donatione liberis facta loquatur, tamen jux- ta communem DD. etiam ad extraneos, id est filios, qui non sunt de numero liberorum, seu descendenti- um Donatoris, extenditur. Tum quia donans tacitâ hæc conditione donasse præsumitur, nisi mihi adhuc liberi nascantur: cum nemo censetur extraneos pro- priis præferre liberis. Clarus §. Donatio. q. 22. q. 1. Ripa in cit. l. Si unquam. q. 2. dicens hæc esse communem Legistarum, & Canonistarum. Molina Disp. 282. n. 2. Engel h. t. n. 17. Pirhing eod. n. 40. cum communi.*

*arg. l. Cum avus. 102. ff. de Condit. & demonstrat. l. Cum acutissimi. 30. C. de Hæreditatibus. Tum quia eadem utrobique mittat ratio Legis jam allegata, sicut & sequens, videlicet, quod verisimile sit, Donantem de filio non cogitare, consequenter in eum eventum, quo eidem liberi nascantur non donasse, Reg. 8. de Reg. Jur. in 6. ob quam etiam rationem procedit Con- clusio, est unica tantum nascatur proles; præsertim cum appellatione liberorum etiam unicuique compre- hendatur filius, l. Non est. 148. ff. de V. S. Hinc etiam si quis unicum filium habens donet, revocare Donati- onem nequit, etsi post Donationem plurimi alii eidem adhuc nascantur: quia non est sine liberis, cui vel unus filius, unde filia est, cit. l. Non est. Brun- man. ad L. 8. ff. de Revocand. donat. n. 6. König h. t. n. 32.*

70 Dicitur notanter in Conclusioe, si notabilem partem donet; quia modica Donatio, ob liberos postea natos revocabilis non est, juxta communem DD. Quanta autem esse debeat Donatio ad hoc, ut sit re- vocabilis, Judicis arbitrio determinari debet juxta Cla- rum lo. cit. n. fin. Covarruviam Variar. Resolut. lib. 1. cap. 19. num. 13. Menochium de Arbitr. Judic. casu 133. n. 2. Molinam Disp. 282. nu. 5. & alios. Quam- vis consentiant à potiori, non tantum dimidiam par- tem, sed etiam illam quantitatem sufficere, quam non donasset, si de filiis cogitasset, aut illos se susceptu- rum scivisset.

71 Ceterum limitatur Conclusio primò, si Donatio facta est Ecclesie vel aliis piis causis; tunc enim non nisi usque ad legitimam revocatur. Abbas in c. fin. h. t. n. 5. Clarus §. Donatio. q. 23. nu. 2. Molina loc. cit. n. 10. Engel h. t. n. 18. Covarruvias lo. cit. n. 5. Pir- hing h. t. nu. 43. & communis aliorum: Tum quia Ecclesia, atqueque pia causa habentur instar libero- rum, *arg. Auchen. Si qua mulier. C. de SS. Eccles. juxta communem DD. Donatio autem facta filio non in to- tum, sed tantum ad legitimam revocatur, L. 5. & 7. C. de Inoff. Donat. Tum quia donans Ecclesie, vel aliis piis causis, principaliter Deo donat, quem uti- que, sicut & animam suam plus quam liberos amare censetur, ut bene observat Abbas loc. cit. consequenter donaturus præsumitur, etsi de filiis adhuc suscipiendis cogitasset.*

72 Nec obstat can. Quicumque. 43. cau. 17. q. 4. ubi Augustinus de Episcopo, qui donatum Ecclesie ite- rum restituit Donatori ob liberos eidem natos, ita di- cit: In potestate habebat Episcopus, non reddere; sed jure fore, non jure poli. Nam respondetur, quòd per hæc textum imprimis confirmetur limitatio nostra quoad forum externum, per verba Jure Fori: Dein per verba non jure poli non innuitur obligatio ex jus- titia, vel lethali culpa, sed ex honestate aliqua & æquitate naturali; quatenus nempe Deo magis placitum est, magisque ad ædificationem populi cedit, si liberis postea natis totum Donatori reddatur, uti ex- plicat Glossa ibid. Molina lo. cit. n. 10. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 12. n. 20. Engel h. t. n. 18. Covarruvias lib. 1. cap. 19. d. n. 5. longam pro favore nostro explicationem dicti textus faciens.

73 Limitatur Conclusio secundò in Donatione remu- neratoria vel ob causam facta, ob Jura & rationes n. 2. allegatas.

74 Resp. VII. Tertia causa principalis revocandi Do- nationem est, si sit inofficiosa id est, tanta, ut filius non maneat legitima (hæc enim Donatio inofficiosa dicitur tot. Tit. C. de Inoff. Donat.) tunc namque li- beri tam exstante tempore Donationis, quam postea nati post mortem donantis patris, vel matris Novell. 92. revocare donatum possunt usque ad legitimam. L. 1. §. 7. & 8. C. de Inoff. Donat. five dein in unum aut plures filios, five in extraneos facta sit inofficio- sa Donatio. L. 1. eod. ibi: Sive in quosdam liberos,

sive in extraneos exhausti. Porò facultas revocandi inofficiosa Donationem etiam parentibus competi- re potest; si nempe liberi eorum tam excessivas Do- nationes faciant, ut non remaneat eis de Jure debita legitima, casu quo præfati Donatores absque li- beris, seu nepotibus moriantur. Molina Disp. 283. & alii. l. Si filius. 4. C. eod. Ratio est; quòd querela in- officiosæ Donationis in omnibus fuerit introducta ad similitudinem inofficiosi Testamenti paren- tibus competit. l. Nam est. 15. ff. de Inoff. Testam. ergo eisdem etiam querela inofficiosa Donationis com- petit.

## TITULUS XXV.

## De Peculio Clericorum.

## I Ratio continuationis.

Opportune inter Titulum de Donationibus, & Titulum de Testamentis, præfens Rubrica inferitur, ut melius intelligatur conditio bonorum, de quibus Clerici vel in vita Donationes, vel causâ mortis testamentum, atqueque dispositiones factæ, vel non facere possint.

## §. I.

De Natura, ac divisione bonorum, seu Peculii Clericorum, eorumque domi- nio.

## SUMMARIUM.

- 2 Peculium Clericorum quid?
- 3 Est quadruplex: Patrimoniale nempe.
- 4 Quasi patrimoniale, seu industriale.
- 5 Stole redditus secundum aliquos non sunt industria bona, sed Ecclesiastica.
- 6 Probatur.
- 7 Juxta communem verò sunt bona industrialia.
- 8 Præsentia, seu Distributiones quotidianae an sint bona industrialia? controvertitur.
- 9 Probabilis est, quòd non sint.
- 10 Solvitur instantia.
- 11 Bona Parimonialia quid?
- 12 Ecclesiastica Clericorum quid?
- 13 Clerici habent perfectum dominium bonorum parimonialium.
- 14 Et quasi patrimonialium seu industrialium. Infer- tur doctrina practica.
- 15 Atque parimonialium.
- 16 Nec non Ecclesiasticorum ad honestam sustentationem necessarium.
- 17 Probatur ex Jure.
- 18 Et Concilio Tridentino.
- 19 Nec non ratione.
- 20 Confirmatur.
- 21 Doctrina practica.

Quæritur I. Quid sit, ac significet Peculium Clericorum? Resp. Esse, & significare idem, ac bonum, seu bona Clericorum: quæ in Rubrica hujus Ti- tuli dicuntur Peculium ob quamdam similitudinem, quæ habent cum Laicorum Peculio descripto. l. Deposuit. 5. §. fin. ff. de Pecul. ubi Peculium dicitur illa bona, quæ ser- vi, & etiam filifamilias à bonis domini, vel patris se- parata habent. Quibus conformiter, quia bona sua Cle- ricis à bonis ad Ecclesiam immediate ac directè spectan- tibus, ejusdem Ecclesie permittit separata de facto possident,



possidens, non immerito *Peculium* vocantur. Appellatur etiam praefata Clericorum bona diminuto vocabulo à SS. Canonibus, ut tacite innuat, pauca & modica esse debere bona Clericorum, qui pauperis Christi pauperumque Apostolorum vestigia sequi praeceteris tenentur. Nam *Peculium dicitur est quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum, cit. l. Depositi. §. 3. ff. de Pecul.*

3. Quæritur II. Quotuplicia sint bona Clericorum? Resp. I. Esse quadruplicia, videlicet, I. Patrimonialia. II. Quasi patrimonialia, seu industrialia. III. Patrimonialia & IV. merè Ecclesiastica. Bona patrimonialia dicuntur, & sunt illa, quæ Clericis ex hereditate, donatione, arte aliave industria, vel causâ profanâ, quâ etiam Laici acquirunt, sive ante, sive post Clericatum susceptum obveniunt. Ita DD. communiter, nec est aliqua controversia de bonorum patrimonialium explicatione.

4. Bona quasi patrimonialia seu industrialia vocantur, quæ Clerici ex industria vel labore aliquo spirituali, & functionibus Ecclesiasticis, veluti ex celebratione Missarum votivarum, concionibus, administratione Sacramentorum, ex officio Vicarii Generalis &c. absque ullo intuitu Beneficii acquirunt. Neque in hoc est controversia inter DD. communiter adferentes, bona illa quasi patrimonialia seu industrialia vocari, quæ ex industria spirituali absque intuitu Beneficii acquirunt. Disputant tamen, an his bonis annumeranda sint etiam illa bona, quæ Parochi, & Curati acquirunt ex talibus functionibus spiritualibus, quas intuitu Beneficii & Officii Parochialis præstare tenentur, consequenter quæ intuitu ipsius Beneficii acquirunt, utpote non acquisituri, si Beneficium non haberent. Cuiusmodi bona sunt, quæ Parochis ex benedictione Nuptiarum, administratione Sacramentorum, sepulchris &c. obveniunt, atque de factò fructus Stolæ communiter appellatur.

5. Hostiensis siquidem in *Summa. n. 3. h. 1.* Pro regula generali ponit, omnia illa bona, quæ Clericis intuitu & respectu Ecclesiæ vel Beneficii acquirunt, non acquiruntur, si non haberent Beneficium, nullatenus bonis patrimonialibus seu industrialibus, sed merè Ecclesiasticis annumerari. Idem novissime docet & ad longum probat Van Elpen in *Jure Ecclesiastico univ. p. 2. tit. 32. de Peculio Cleric. c. 1. à num. 44.* & cum ipso Boerius Episcopus c. 1. de Testamentis. num. 79. & 80. arg. l. *Castrense. ff. de Castrensi Pecul.* Nam sicut ibi *Peculium*, seu bonum *Castrense* dicitur, quod intuitu militiæ acquirunt Filiusfamilias, non acquiruntur, si non militaret; vel si acquireret, tamen bonum *Castrense* non esset: ita quod intuitu Ecclesiæ seu Beneficii acquiruntur, non acquiruntur, si Beneficium non haberent, bonum Ecclesiasticum dicendum erit. Probat etiam ex c. *Quia nos. 9. de Testamentis*, ubi Pontifex manifestè indicare videtur, quænam sint bona merè Ecclesiastica, & quæ non, statuendo, Clericum de iis, quæ ad eum non habito ad Ecclesiam respectu pervenerunt, liberè disponere, ac etiam testari posse; non item de illis, quæ consideratione, seu intuitu Ecclesiæ percipiunt: verba Pontificis sunt ista: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod licet Clerici de his, quæ paternæ successione vel cognatione intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerint ad ipsos, liberè disponere valeant, de his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ (id est Beneficii) perciperunt, nullum de Jure possunt facere testamentum.* Hoc ipso autem, quod de bonis his intuitu Ecclesiæ acquisitis liberè disponere nequeat Clericus, bona industrialia non sunt; cum de istis juxta communem Adversariorum liberrimè disponere valeat.

6. Confirmatur: juxta communissimam etiam Adver-

sariorum, bona merè Ecclesiastica sunt, & dicuntur illa, quæ intuitu Beneficii acquiruntur: atqui redditus Stolæ reverà intuitu Beneficii acquiruntur; planè enim illud propriè intuitu Beneficii acquiri dici potest ac debet, quod Clericus non acquireret, nisi Beneficium haberet; ergo. Nec juvat dicere, bona Stolæ non dari intuitu Beneficii, sed intuitu industriae & laboris spiritualis in administrandis Sacramentis, v. g. sepeliendis defunctis, benedicendis Nubendis &c. habiti. Nam contra est, quod etiam redditus Beneficiales dantur propter industriam & laborem spirituales, recitationem nempe divini officii (*Beneficium enim datur propter Officium, c. fin. de Rescrip. in 6.*) & tamen non sunt bona industrialia: quia nempe, etsi Clericus Officium recitaret, non darentur, nisi Clericus simul etiam Beneficium haberet: Ergo etiam licet redditus Stolæ dantur Parocho propter industriam spirituales; tamen quia non darentur, nisi Beneficium Parochiale haberet, nullatenus bona industrialia, sed merè Ecclesiastica erunt, utpote intuitu Ecclesiæ seu Beneficii acquisita. Et hæc sententia probabilitate sua cerè non caret. Profectò enim negari vix potest, rem aliquam propriè dici intuitu alicujus rei acquiri, quæ si non respiceretur, vel non adesset, non acquireretur, arg. cit. l. *Castrense. ff. de Castrensi Peculio. §. 1. Instit. Per quas personas cuique acquir. ubi in simili profectum dicitur, quod intuitu patris datur filio, non dandum, si pater non respiceretur; juncto c. *Quia nos. 9. de Testamentis.**

Econtra alii, & quidem hodie communis DD. docet, præfatos stolæ redditus bona industrialia seu quasi patrimonialia esse; ita namque sentit Navarrus *trac. de Reddit. Eccles. qu. 1. Monito. 19. Layman lib. 4. trac. 2. cap. 3. nu. 1. Engel eod. num. 2. König h. 1. nu. 2. Molina Disp. 142. num. 2. Ratio est; quia fructus seu redditus stolæ Clericis etiam curatis non intuitu Beneficii, sed præcisè intuitu industriae seu laboris spiritualis præstiti dantur tanquam stipendium & merces absque ullo tacito expresso onere superflua in causâ piâ erogandi, dignus est enim operarius mercede sua, Luca 10. ad quam mercedem ob labores spirituales percipiendam Clerici non minus jus habent, quam Laici ob labores profanos. Imò allegatæ Scripturæ verba propriè de Clericis prolata sunt. Neque ex hoc, quod Clericus eos non acquireret, si Beneficium non haberet, dici debent intuitu Beneficii acquisita; quia hoc esse videtur per accidens, cum dantes absque ullo respectu ad Beneficium solummodo intuitu & consideratione industriae & laboris spiritualis præstiti præfatos stolæ fructus Parocho largiantur, largitur, etsi Beneficium non haberet; dummodo desideratos labores spirituales illis exhiberet; teste experientia, quæ videmus, quod Laici ob præstita sibi similia servitia spiritualia Clericis mercedem & stipendium tribuant, sive sint Beneficiarii, sive non.*

Alia controversia circa bona industrialia inter DD. 8 est; an nempe Distributiones quotidianæ, seu Præsentia, ut vocant, bonis industrialibus, vel potius merè Ecclesiasticis sint annumeranda. Covarruvias de Testamentis. in c. *Cum in officis. 7. de Testamentis. num. 14. Pirhing h. 1. n. 2. Engel h. 1. n. 4. Cardinal. Tuschus lit. D. conclus. 512. num. 1. citans Geminianum Conclus. 85. super prin. num. 18. affirmativam docent. Ratio eorum est; quia etiam dari censentur tanquam stipendium & merces laboris.*

Verum sententia contraria dicens, eas bonis merè Ecclesiasticis annumerari, probabilior est, eamque tenet Navarrus de Reddit. Eccles. Monit. 30. n. 2. Sanchez lib. 1. cap. 2. dub. 46. n. 4. Sarmiento de Reddit. p. 3. cap. 5. n. 6. Van Elpen, lo. cit. & alii. Ratio est, quia dictæ Distributiones quotidianæ de ipsis bonis merè

merè Ecclesiasticis, seu redditibus Beneficii ordinariè sumuntur, suntque tercia pars dictorum reddituum, ut patet ex *Concil. Trident. Sess. 21. cap. 3.* atque intuitu Beneficii acquiruntur, utpote non acquirēdæ, si Clericus Beneficium non haberet, Chorum accederet.

10. Nec refert, quod memoratæ Distributiones sint defactò pars separata à redditibus, & fructibus grossis, danturque tanquam merces propter industriam & laborem. Nam contra est: tum quia separatio postea facta non absulit, nec auferre potuit naturam eorum, ac finem Fundatorum volentium, ut non nisi ad piâ causâ applicentur. Tum quia etiam ipsi redditus grossi sunt merces, & dantur propter industriam & laborem, recitationem nempe Officii divini, c. *fin. de Præbend. in 6.* & tamen non sunt fructus industrialia. Nec enim in dignoscendis bonis Ecclesiasticis, an sint merè industrialia, nec ne, ad id præcisè attendi debet, utrum dantur propter laborem, & servitium; sed etiam, & quidem præcipue, quâ intentione, pacto, & sine sint data, vel dantur. Quapropter cum Distributiones quotidianæ non minus, ac ipsi fructus grossi, utpote horum pars, indeque desumpti, ex intentione pactoque tacto vel expresso Fundatorum non nisi ad causâ piâ applicari valeant, nullatenus bona merè industrialia, sed merè Ecclesiastica sunt, & manebunt, sicuti ante separationem fuerunt, non obstante quod ob laborem, & diverso modo acquirantur, cum diversis lucrandi modis non variet finem, ob quem percipiuntur. arg. l. 1. & l. *Legatum. ff. de Administr. rerum ad Civit. & Clem. Quia contingit. 2. de Relig. domib.*

11. Bona Patrimonialia dicuntur, & sunt illa, quæ Clerici ex redditibus merè Ecclesiasticis ad congruam sustentationem sibi competentibus, parcius, ac honestè vivendo sibi subtrahunt, & congregant: ut, si Clericus, considerato statu & conditione sua, pro honesta sustentatione de redditibus Beneficii annuatim possit impendere 1500. florenos, & tantum impendit 1000. florenos, erunt 500. floreni residui bona Patrimonialia. Ita DD. absque controversia.

12. Bona tandem merè Ecclesiastica vocantur, & sunt illa, quæ intuitu, seu ratione & respectu Ecclesiæ, sive Beneficii alicujus v. g. Episcopatus, Canonicius, Parochiæ, aut alterius Beneficii titulo acquiruntur: uti sunt redditus eorum ordinarii, v. g. Decimæ, fructus agrorum, ac rerum ad Beneficium ipsum pertinentium. Explicatâ itaque naturâ ac divisione bonorum Ecclesiasticorum, ulterius.

13. Quæritur III. An Clerici bonorum præfatorum habeant dominium? Resp. I. Bonorum Patrimonialium habent Clerici perfectum dominium, Ita Omnes, textu claro, c. *Quia nos. 6. h. 1. supra num. 5. jam allegato. Ratio est; quia Clerici seculares nullo modo abdicant dominium bonorum temporalium uti Religiosi: nec per Ordinem, seu statum Clericalem fiunt incapaces domini, tum nullo id Jure, bene verò, quod dicit Conclusio, probari valeat, tum Juribus citatis, tum ex can. Cerè. 18. can. 12. q. 1. ibi: *Qui volum habere aliquid proprium, non eis aufero Clericatum.**

14. Resp. II. Etiam bonorum quasi patrimonialium, seu industrialium dominium, perfectamque disponendi facultatem habent Clerici seculares. Navarrus loc. cit. q. 1. *Monito. 19. Engel. h. 1. n. 2. Pirhing. h. 1. n. 2. Layman lib. 4. tr. 2. cap. 3. nu. 1. Zoellus h. 1. n. 3. Sannig eod. n. 2. Castro Palao de Justit. & Jur. Disp. un. jun. 7. §. 3. n. 3. ac communiter Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.*

nissima aliorum. Ratio est; quia Clericis bona industrialia, ut puta merces laborum, absque ullo intuitu Beneficii dantur: dignus est enim operarius mercede sua, Luca 10. vel non ut merces laboris, saltem dantur sine omni tacito, vel expresso dantis pacto aut onere, eas in causâ piâ erogandi, juxta communem sententiam Fidelium, qui utique in hoc puncto maximè attendi debet. Et ex his duabus Conclusionibus inferitur, quod si Clerici ex præfatis bonis quædam pro honesta sua sustentatione applicent, possint tantummodo ex bonis Ecclesiasticis superfluis sibi accipere, & expensâ refarcire: quod etiam in Theologia nostra morali *Trac. 7. Disp. 4. n. 27.* notavimus.

15. Resp. III. Bonorum patrimonialium quoque verum dominium ac illimitatam de eis disponendi libertatem habent. Navarrus loc. cit. *Monito. 26. n. 1. S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 7. Engel h. 1. n. 7. Covarruvias de Testamentis. cap. 17. n. 9. Lessius lib. 2. cap. 4. nu. 37.* & alii, contra Abbatem, & nonnullos alios. Ratio est; quia Patrimonialia defumuntur de bonis merè Ecclesiasticis honestè sustentationi Clerici necessariis, suntque pars illorum, horum autem Clerici perfecti sunt domini, ut statim sequenti Conclusionem probabimus, simulque Conclusionem præsentem stabiliemus: ergo. Omnes has tres Conclusiones etiam in Theologia nostra Morali jam dedimus *Trac. 7. Disp. 4. q. 3.*

16. Resp. IV. Clerici Beneficiarii omnes etiam bonorum merè Ecclesiasticorum perfectum dominium, perfectamque disponendi facultatem habent quoad illam partem, quæ honestè eorum sustentationi competit, ac necessaria est. D. Thomas loc. cit. Navarrus loc. cit. & *Monito. 43. ac 44.* ubi solvit objectiones, Engel h. 1. nu. 7. Lessius loc. cit. Covarruvias loc. cit. Layman lib. 4. tr. 3. cap. 3. n. 2. Molina Disp. 145. Pirhing, h. 1. nu. 4. cum communissima aliorum contra Abbatem in c. *Cum esses. 10. nu. 27. de Testamentis.* qui tamen non ex professo, sed tantum per transitum quasi contrarium docet; uti bene observat Navarrus loc. cit. *Monito. 44.*

17. Probatur Conclusio ex Jure c. un. de Præbend. in 6. ubi habetur, quod Clericus debet non resistens Distributionum perceptarum dominium non recipiat, nec faciat esse suas. Pariformiter statuitur in Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 1. de Reform. de Episcopis, aliisque Clericis debet non residentibus, eos pro rata temporis absentia fructus suos non facere: ergo per argumentum à sensu contrario [quod fortissimum est apud Glossam receptam in c. *Cum Apostolica. 7. de his que fiunt à Prælati. ver. Datur intelligi*] si debet resident, præfatos fructus Ecclesiasticos faciant suos, saltem illos, qui honestè sustentationi necessarij sunt.

18. Confirmatur ex eodem Concilio Trident. Sess. 24. cap. 12. ubi non tantum negativè, sed & positivè innuat, & asserit, Clericos debet residentibus fructus facere suos: dum de indebitè absentibus sic ait: *Alioquin primo anno privetur uniusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac Residentia fecit suos, ubi notanda verba: Quos ratione præbendæ ac Residentia fecit suos; quibus Concilium profectò manifestè indicat, Clericum debet præsentem, fructuum merè Ecclesiasticorum acquirere & habere dominium, cum rem suam facere, & ejus dominium acquirere sint idem, arg. l. 2. §. 2. ff. de Rebus credit. & c. un. cit. de Præbend. in 6. ubi fructus suos facere, & eorum dominium acquirere pro eodem sumuntur.*

Ratio Conclusionis est; quia illa pars bonorum 19  
Mm Ecclesiæ.



Ecclesiasticorum, seu reddituum & fructuum Beneficium ad sustentationem honestam necessaria, est vera & propria merces, iustumque stipendium Clericis pro officio, & obsequio Ecclesie præstito proflus debitum, cum secundum Apostolum, qui altari servit vivere debeat de altari; & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede, pater à simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cuius obsequio deputantur. Et infra, Dignum est, ut Ecclesie stipendiis sustententur, in qua & per quam divinis obsequiis adscribuntur, c. Cum secundum. 16. de Præbend. ubi, ut vides, Clericorum sustentatio honestam vocatur stipendium, & merces obsequii Ecclesie præstiti: stipendium autem & merces laboris, & obsequii transit in dominium, laborem & obsequium præstantis, non tantum Laici, sed etiam Clerici: utpote qui non est deterioris conditionis ac ille, nec minus domini capax est.

20 Confirmatur: Exinde, quod Clericus dicitur bonorum honeste sustentationi necessarium habere perfectum dominium, plenamque de eis disponendi facultatem, nemini sit injuria aut præjudicium; nec pauperibus, nec aliis piis causis, nec intentioni Fundatorum. Non pauperibus, & piis causis; quia hæc solummodo in superflua, non item in necessaria sustentationi bona jus habent; alius enim Clericus sine illorum injuria, nec sibi dicta bona necessaria applicare possit. Non intentioni Fundatorum, quia horum finis, videlicet, ut bona ab ipsis collata in piis causis impendantur; æque periculis jam censetur impleri, dum Clerico pro honesta sustentatione, ac si pauperibus, vel aliis piis causis datur; cum necessaria Clerici sustentatio etiam causis piis æquiparetur, c. 16. de Præbend. indeque æquale cum pauperibus, & aliis piis causis in bonis acceptis jus habeant; atqui exinde, quod pauperes, alique piæ causæ dicantur acquirere, & verum habere dominium bonorum Ecclesiasticorum sibi collatorum, plenamque de eis disponendi facultatem, non sit injuria intentioni Fundatorum; ergo nec, si eorundem bonorum domini dicantur Clerici. Ratio utriusque est; quod dicta intentioni Fundatorum parat tantum obligationem personalem stringentem dispensatores, vel Administratores ad hoc, ut bona ab ipsis collata in piis causis distribuant, quo semel facto jam censetur periculis impleta, neque ulterius se extendit, nec amplius obligat piis causis, quæ eorum bona acquirunt; ut proinde de iis tanquam perfecti domini pro libitu disponere valeant.

21 Ex quibus colligitur, Clericos non tantum de bonis patrimonialibus & industrialibus, sed etiam patrimonialibus, id est, illis bonis, quæ parcius, ac tenentur, vivendo reservant de merè Ecclesiasticis ad honestam sustentationem necessariis remanent, posse pro libitu disponere, & de illis ditare consanguineos, etque succurrere. Et quidem de dominio bonorum hæcque recentiorum DD. satis communiter conveniunt, ita ut specialis difficultas & controversia de eis non sit. Celeberrima autem controversia inter eosdem versatur circa dominium bonorum merè Ecclesiasticorum superfluum, id est, illorum, quæ ad honestam sustentationem Clericis necessaria non sunt: Hinc de illis specialem Paragraphum facimus.

## §. II.

De Clericorum bonis Ecclesiasticis superfluis, five illis, quæ ad eorum honestam sustentationem necessaria non sunt.

## SUMMARIUM.

- 22 Utile & necessarium sciri est, an superfluum bonorum dominium habeant Clerici, nec ne?  
 23 Allegantur DD. affirmativam tenentes.  
 24 Probatio eorum ex Jure.  
 25 Probatio ex Bulla Julii III.  
 26 Probatio ex ratione.  
 27 Probatio à simili.  
 28 Confirmatur ratione Juris. Et num. seq.  
 29 Proponitur sententia negativa, & DD. eam tenentes.  
 30 Probatur ex Jure.  
 31 Probatur ex SS. Patribus.  
 32 Concertatio DD. utriusque sentent. usque ad n. 37.  
 33 Probatur ulterius sententia negans ex Jure, & Concilio Trident.  
 34 Et SS. Patribus.  
 Membranam inutiliter occupat, dicitio in lege vacans. Ibid.  
 35 Pontifices dividendo bona Ecclesiastica non potuerunt mutare naturam eorum.  
 36 Quia hoc esset in damnum Ecclesiarum.  
 37 Uti probatur à pari.  
 38 Solvantur Textus, quibus dicitur Clericos facere fructus suos.  
 39 Respondetur ad Bullam Julii III.  
 40 Et ad argumentum ex ratione propositum.  
 41 Solvuntur alia instantia.  
 42 Quare tolerentur, & non rescindantur contractus Clericorum de bonis superfluis facti?  
 43 Dominus bonorum superfluum Ecclesiasticorum Clericus est.  
 44 Probatur à simili.  
 45 Quare bona Ecclesiastica vocentur patrimonium pauperum, & dicantur pertinere ad Jus Sacerdotum, vel Ecclesie?  
 46 Sententia negativa agnoscitur probabilior.

Quæritur, An Clerici bonorum Ecclesiasticorum superfluum dominium habeant? Non tantum prout hæc quaestio non esse merè speculativam, sed summè practicam, indeque scitu summè utilem ac necessariam. Enim verò si Clerici ditorum bonorum verum habent dominium; facile probari poterit, eos ad restitutionem non teneri, si quid de iis ad causas profanas expenderit; sed tantum ad agenda poenitentiam boni peccatum, quod impendendo dicta bona ad causas profanas committunt. Si autem dominio præfatorum bonorum carent, non tantum peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur, si quid de memoratis bonis ad profanas causas applicent.

Circa hanc quaestionem duæ immediatè sibi oppositæ celebres sunt sententiæ: una nempe, quæ dicit, Clericos etiam bonorum superfluum Ecclesiasticorum verum habere dominium. Ita docent Covarruvias in c. Cum in officio 7. n. 3. de Testament. Molina Diss. 143. n. 2. Barbosa lib. 3. Jur. Eccles. un. cap. 17. Fagnanus in c. Si quis sane, ult. h. r. Lessius lib. 2. c. 4. dub. 6. n. 44. Layman lib. 4. tract. 2. cap. 3. n. 3. Sanchez in præcepta Decalogi. lib. 2. cap. 20. n. 24. Pirhing h. r. n. 5. Filiucius, Valent. Bonac. Reginald. Haunoldus, & Recentiores communiter.

Probatio hujus opinionis, atque fundamentum 24 principiales desuntur ex c. un. de Præbend. in 6. & Concilio Trident. Sess. 22. de Reform. c. 3. Sess. 23. cap. 1. & Sess. 24. cap. 12. in quibus locis aperte habetur, quod Clerici sæculares beneficiati debite non præsentent dominium fructuum seu bonorum Ecclesiasticorum non acquirant, nec eos faciant suos, ut constat ex textibus supra nu. 17. & 18. allegatis: ergo à sensu & argumento contrario, si debite sunt præsentent, dominium acquirunt, eosque faciunt suos.

Probatur

## §. II. De Clericorum bonis Ecclesiasticis superfluis, &amp;c. 411

25 Probatur etiam ex Bulla Julii III. Cum sicut nobis. edita 1550. & durante Concilio Tridentino publicata (inventur in Tom. I. Bullarii) ubi §. 1. ita loquitur Pontifex: Pecunias, & res alias, occasione Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum provenientes, postquam ad manus Beneficiorum pervenerunt, & cum aliis ipsorum Beneficiorum fructibus commixti sunt &c. non ulterius in Ecclesiasticis, sed potius in ipsorum Beneficiorum propriis, & ab eis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro secularibus & profanis haberi &c.

26 Probatur ulterius ratione, & argumento sequenti; Clerici etiam juxta contrariam sententiam sunt veri domini reddituum seu bonorum merè Ecclesiasticorum, honeste sustentationi necessarium; ergo etiam sunt domini superfluum: Consequentia probatur. Clerici beneficiati, redditus omnes Ecclesiasticos tam necessarios, quam superfluos promiscuè & commixtum accipiunt: ergo dici non potest, quod aliorum acquirant dominium, & aliorum non acquirant; sed dici necessariò debet, quod si unus, etiam alterius generis bonorum promiscuè acceptorum acquirant, & habeant dominium: præsertim quia etiam pecuniæ propriis ita mixtè transeunt in dominium illius, cujus pecuniis miscetur; saltem si discerni amplius nequeant.

27 Confirmatur hoc argumentum à pari: Quando quis alicui centum v. g. florenos ad instituentem peregrinationem dat hoc sine & pacto, ut, quod necessarius expensis proficiat, det pauperibus, acquirat acceptorum verum dominium tam superfluum quam necessarium, quamvis cum obligatione superflua in pauperes erogandi: ergo idem dicendum de Clericis accipientibus bona Ecclesiastica tam necessaria, quam superflua promiscuè hoc pacto, & conditione, ut necessariè sustentationi superflua tribuant pauperibus, & aliis piis causis. Ita argumentatur Layman lib. 4. tr. 2. cap. 3. n. 4. & ex ipso Pirhing h. r. n. 5. ac plures alii.

28 Probatur adhuc num. 23. allegatis opinionem DD. ibi citati, quando habetur certum, ac manifestum fundamentum, non debet, nec expedit Clericis gravissimam obligationem, & periculosissimam conscientie onus imponi; sed qui docent, Clericos non esse dominos superfluum, hoc ipso imponunt eis sine manifesto fundamento gravissimam obligationem, & periculosissimam conscientie onus restituendi nempe iterum ad piis causas, quæ de superfluis in causas profanas expenderunt: ergo, Majorum ut certam supponunt: tum quia in obsecris minimum sequendum: juxta Reg. 30. Jur. 6. Oblitum autem, & non certum, utpote textibus Juris pro, & contra instantibus, ac inter DD. summè controversum est, an Clerici habeant dominium superfluum; consequenter minimum, id est, quod minorem parit obligationem, sequendum est: tum quia in pari causa potior est conditio possidentis, Reg. 65. Jur. 6. Clerici autem in hac pari controversia causa sunt possessores bonorum superfluum, ergo. Minor quoque certa videtur; quod enim præfata ex doctrina contraria, sequens obligatio esset gravissima, patet: quod foret simul periculosissima, nemo negabit: profecto enim stante obligatione, quod Clerici superflua ad profanas causas expensa, iterum ad piis restituere debeant, plurimi erunt in summo periculo aeternæ suæ salutis: cum multos videamus superflua in causas profanas expendere, paucos verò restitutionem facere, ubi autem non restituitur ablatum, non dimittitur peccatum; consequenter maximo cum periculo aeternæ salutis vitur: ergo.

Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

Quod verò eadem obligatio, ac conscientia 29 onus absque certo, ac manifesto fundamento imponatur, inde patet; quia Jura & Canones, quos pro se copiosè allegant contrariæ opinionis Doctores, loquuntur vel exaggerativè, vel de statu & tempore Ecclesie antiquo, in quo Clerici in communi vivebant; non item de tempore moderno, quo bonorum Ecclesiasticorum per Simplicium, & Gelasium Summos Pontifices circa annum Domini 470. divisio in quatuor partes facta, & cuique parti, sua portio domini assignatum est: vel tandem, si qui Textus etiam de moderno tempore allegantur, illi vel obscuri sunt, vel plus non probant, quam quod Clerici teneantur superflua erogare in pauperes; non item, quod eorum dominium non habeant, indeque ad causas profanas expensa, ex justitia iterum restituere debeant. Hæc sunt potissima hujus opinionis fundamenta: Reliqua loco objectionum ponentur.

Altera sententia immediatè contrariam dicit, 30 videlicet, quod Clerici beneficiati sæculares quicumque, prorsus nullum dominium bonorum Ecclesiasticorum superfluum habeant, sed eorum meri dispensatores, administratores, & procuratores sint, consequenter ex justitia teneantur eadem juxta intentionem Fundatorum in causas piis erogare, & aliter in causas profanas nempe expensa iterum restituere obligentur. Ita docent celeberrimi, imò (satis testibus ipsis adversariis) pene omnes Canonistæ ac Theologi antiqui; signanter Navarrus de Redd. Eccles. q. 1. Mon. 21. & q. 2. n. 7. Abbas in c. Cum secundum 16. n. 4. de Præbend. & alibi. Archidia. in c. Statutum. §. Assessorum. de Rescript. in 6. Innocentius in c. indecorum de Retra. & qualis. Pelagius de Planctu Eccles. cap. 28. Angelus verò. Clericus 3. n. 1. & 3. B. Antonin. part. 3. tit. 15. cap. 1. §. 19. Bellet. Disquisit. Cleric. de Bonis Cleric. §. 2. n. 5. Sannig de Justit. & Jur. Diss. 5. q. 4. Van Espen, Eimmus Sfondrati, Joan. Andreas, Ancharanus, Celerindus, Richardus, Hostiensis, Sylvester, Armilla, Alexander Alesius, Jason, Barbat, Petrus Sotus, Decius, Rosella, & Marion dicentes, ante Ius ætatem, nullum tenuisse contrarium: & alii plurimi, quorum omnium vel nomina tantum citare nimis longum foret.

Probatur hæc sententia ex Jure, & SS. Patribus, ratione, ac solutione fundamentorum contrariæ sententiæ. Ex Jure quidem; quia ibidem Episcopi, ac cæteri Clerici nunquam domini, sed tantum Dispensatores, Administratores, aut Procuratores bonorum merè Ecclesiasticorum vocantur, ipsaque bona Ecclesiastica, res Dei, patrimonium Christi, & pauperum, vota Fidelium, pretia peccatorum dicuntur. Audiamus Canones: can. Si privatum. 28. cau. 12. q. 1. habetur: Si privatum possidemus, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procuratorem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus. Can. Episcopus. 23. cau. 12. q. 1. dicitur: Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia & timore Dei. Participe autem & ipse, quibus indiget, tam in suis, quam in fratrum necessariis usus, ita, ut in nullo, quolibet occasione fraudentur, juxta sanctum Apostolum sic dicentem, habentes victum & tegumentum, his contenti sumus. Can. Quia. 59. cau. 16. q. 1. Quia juxta SS. Patrum traditionem novimus, res Ecclesie vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum. Diss. 42. in Rubrica: Aliena rapere convincitur (Clericus) qui ultra necessaria sibi retinere probatur. Can. 1. cau. 12. q. 2.

M m 1 Stepha.



Stephanus Papa eadem bona, pecunias Christi vocat illis verbis: *Qui Christi pecunias, & Ecclesie auferat, fraudat, & rapit. can. Quia 8. cau. 12. q. 1. de memoratis bonis statuitur: Omne, quod superest, in causis piis, ac religiosis erogandum.* Concordat can. Res Ecclesie. 26. cau. 12. q. 1. Can. Decime. 66. cau. 16. q. 1. Can. Quod autem 3. cau. 23. q. 7. Can. Apostolorum 37. & 75. Similiter loquuntur Concilia, ut Aquiligranense cap. 116. Agathense cap. 6. Carthagenense cap. 46. & alia, quorum omnium Textus asserit, esset brevitatis leges transgredi; praesertim, cum ex dictis satis jam constet, Clericos de Jure solos Dispensatores, Administratores, & Procuratores, non item dominos esse, bonaque Ecclesiastica superflua, res Dei, & Ecclesie, patrimonium Christi, & pauperum, consequenter non ipsorum esse.

32 Probatur eadem sententia etiam ex SS. Patribus, qui pariformiter loquuntur. S. Augustinus Serm. 219. de Tempore: *Quidquid (ait) excepto victu, & vestitu rationabili superfluum, non luxuria reservatur, sed in thesauro caelesti per elemosynam reponitur: quod si non factum, res alienas invasimus.* Ecce juxta S. Augustinum bona Ecclesiastica Clericorum superflua aliena sunt: ergo non propria Clericorum. Similiter loquitur S. Hieronymus can. fin. cau. 16. q. 1. *Quoniam quidquid (superfluum) habent Clerici, pauperum est.* Gaudentius de Sermone Vallico, nobis, inquit, *credita est dispensatio [non dominium] facultatum Domini nostri, vel ad utendum eis sufficienter, vel ad distribuendum servis; & ideo non licet nobis eas in expensis usurpare superfluas; cum sit erogationis potestas Domino venienti reddenda.* Pariter loquuntur alii SS. Patres.

33 Ad hos, & similes SS. Conciliorum, Canonum, & Patrum textus vix non unanimiter respondent primae sententiae Auctores, videlicet, eos loqui, intelligendos esse, ac verificari de bonis superfluis Ecclesiasticis illis, quae Episcopi ac Clerici habuere ante divisionem bonorum Ecclesiasticorum, factam circa annum 470. a Simplicio, & Gelasio Summis Pontificibus: non item de bonis acquisitis post illam divisionem, mediante qua dicti Pontifices bona Ecclesiastica in quatuor partes dividerunt, unam Ecclesiae, alteram Episcopis, tertiam Clericis, quartam pauperibus tribuentes, can. Confesso 26. cau. Quatuor. 27. & can. 28. cau. 12. q. 2. per hanc enim divisionem allegatas quatuor competentes, bonorum sibi assignatorum dominium acquisisse, aiunt, sed non probant Doctores primae sententiae.

34 Contra autem hanc responsionem reponunt DD. secundae sententiae, & dicunt, probantque, extare similes SS. Conciliorum, Canonum, & Patrum Textus, qui etiam post dictam bonorum divisionem idem de bonis Ecclesiasticis dicunt, quod antiqui ante divisionem de iisdem dixerunt, consequenter communis haec responsio DD. profus non subsisteret. Probant aut. ex c. Inquirendum 4. h. 1. ibi: *Inquirendum est, si quis presbyterorum de redditibus Ecclesie, vel oblationibus, vel votis fidelium alieno nomine res comparavit: quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine presbyter fraudem facere de facultatibus Ecclesiasticis debet: quoniam hoc sacrilegium est, & par crimini Judae furis: & c. 2. de Donat. ubi dicitur: quod Episcopus, & quilibet Praelatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus.* Ad hanc, & nonnullos alios Juris Textus post divisionem primam postea dicunt, eos loqui de bonis, quae ad Ecclesiam ipsam immediate spectant, & a bonis Clericorum separata existunt, quorum dominium Clericos non habere, sed merè Oeconomos & Administratores esse, ipsimet fatentur: non item de bonis Ecclesiasticis, quae separata ab Ecclesia immediate Clericis obveniunt.

Sed contra respondent secundae sententiae Doctores, dari textus Juris novi, qui de bonis ad Clericos immediate spectantibus loquentes, expressè indicant, Clericos eorum nullum habere dominium. Sic, c. fin. h. 1. de ipsis bonis Clericorum loquens ait: *Si quis sanè Clericorum agella, vel vineolas in terra Ecclesie sibi scisse probaverit, sustentanda vitae causa usque ad diem obitus sibi possideat, nec testamentario, aut successorio Jure cuiquam haeredum, prohaeredumve relinquat. & c. 3. eod. statuitur: ut unusquisque res, quas post dies consecrationis acquisierit occasione Ecclesie, (uti bene observat Glossa ibid. §. Acquisierit.) propriae Ecclesie relinquat. c. Cum in officiis 7. & c. Relatum. 12. de testament. ordinatur, quod ipsorum Clericorum bona, intuitu Beneficii acquisita penes Ecclesiam debeant cuncta remanere, ita ut haeredes eorum nec ex testamento nec ab intestato quidquam inde acquirere valeant. Idem habetur de Episcopis c. 1. eod. Ex quo manifestè patet, Clericos, neque in bona ab Ecclesia bonis distincta, & sibi acquisita aliquid habere dominium, hoc ipso, quod nec de iis tellari, nec in eis haeredes ab intestato succedere valeant. Nam si praefata bona proprie ad Clericos spectarent, hique illorum haberent dominium, injuriam eis faceret Ecclesia, potestatem testandi adimendo, cum haec potestas de Jure & aequitate naturali cuius competat: *Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis liberum, quod iterum non reddit, arbitrium, iis relinquatur, disponendi de bonis suis. L. 1. C. de SS. Ecclie.* Unde aequitati huic conformiter, c. quia non 9. de Testament. liberrima testandi conceditur potestas Clericis de bonis suis, quorum dominium habent. Quod potestatem quia caret circa bona superflua Ecclesiastica, signum evidens est, non esse bona sua, seu ipsorum, nullumque eis in illa competere dominium.*

Pariter faceret Ecclesia injuriam haeredibus ab intestato succedentibus, adimendo eis ea, quorum dominium ad Clericum consanguineum spectabat, & in quae succedendi ipsi jus habent. Nec enim juvat dicere, haeredes succedere ab intestato non posse, quia praefata bona tenebatur Clericus in piis causis erogare. Nam contra est, quod Clerici juxta DD. primae sententiae, tantum ex charitate, vel religione; non item ex iustitia id facere tenebantur, consequenter ex iustitia adhuc pertinent ad haeredes, & penes eos jus adhuc remanet, quo illos propter obligationem ex virtute charitatis dictis bonis inherenter, privare non potest Ecclesia, sicut juxta ipsos etiam Adversarios privare non potuisset, si memorata bona eidem in vivis Clericus donasset, non obstant, quod contra virtutem Charitatis vel Religionis egisset.

Probatur ulterius ex Jure novo, quod Clerici 37 bonorum superfluatorum, intuitu Beneficii sibi acquisitorum, dominium non habeant, ex eo, quod praefata bona etiam Jure novo, uti in antiquo vocentur, Res Dei, Patrimonium Jesu Christi &c. ut patet ex c. Cum secundum. 16. de Praebend. ibi: *De patrimonio Jesu Christi, &c. Cum ex eo. 34. de Elect. in 6. ubi Bonifacius VIII. de redditibus Clericorum intuitu Ecclesie acquisitis conquirerit, quod multi de patrimonio Jesu Christi sint sublimati. Et novissime ex Concilio Trident. Sess. 25. de Reformat. c. 1. ubi prohibet, ne ex redditibus Ecclesiasticis consanguinei dicerent, quae Dei sunt.*

Probant ulterius sententiam suam ex SS. Patribus, 38. ex quibus unicum brevitatis gratia adducere placet S. Bernardum, qui diu post divisionem vivens, ita de bonis Clericorum intuitu Beneficiorum acquisitorum loquitur: *Quidquid praeter necessarium vitium, ac simplicem vestitum de altari resines, tum non est, rapina est: atqui si ipsorum non est, & retinentes*

nentes rapinam committunt, eorum dominium non habent, uti cuius consideranti patet. Pariter loquuntur alii SS. Patres. Nec valet, quod dicant, SS. Patres, ex pia quadam exaggeratione loqui. Nam contra est: tum quia injuria videtur fieri Sanctissimis simul ac Doctissimis Patribus, dicere de eis, quod in re maximi momenti, & ubi agitur de periculo summo, eodemque gravissimo conscientiae onere, loquantur exaggerative. Tum quia idem dicunt Jura antiqua & nova, uti patet ex c. 4. h. 1. ubi, sicut in aliis locis furres vocantur Clerici, bona Ecclesiastica male impendentes. Hinc etiam dato non concessio aliqui SS. Patres exaggerative loquerentur, dicere saltem non possunt Adversarii, quod Jura, Canones, & Leges Ecclesiasticae exaggerative loquantur; cum juxta illud, receptissimum Glossae in c. Solus §. Tanquam de Majorit. & obediens. Nulla dictio debeat vacare in Lege aut Decreto, alioquin frustra membrana occupat.

39 Confirmatur, quod etiam post divisionem Clerici non sint dominii superfluatorum bonorum. Clerici juxta ipsos etiam Adversarios, ante divisionem non fuere domini; ergo nec post illam. Probatur Consequenter, Pontifices nec potere nec volere mutare naturam bonorum Ecclesiasticorum, & transferre eorum dominium cum gravi, ac communi Ecclesiarum gravi detrimento: atqui Pontifices mutando naturam dictorum bonorum, & transtulissent eorum dominium, grave damnum intulissent Ecclesie, & causis piis. Ergo Major quoad primam partem, quod non poterint, probatur; quia, quamvis Eisdem plena de Beneficiis disponendi competat potestas c. de Praebend. in 6. tamen eidem cum Ecclesiarum praedictio abuti non possunt; uti communiter fatentur Doctores. Quod verò non voluerint, inde constat; tum quia nequam supponere, ac praesumere licet, Summos Pontifices per suas dispositiones id velle, quod in grave praedictum Ecclesiarum esse aperit dignoscitur. Tum quia aclus operantium non operantur ultra finem eorum; atqui Pontifices per divisionem bonorum Ecclesiasticorum saltemmodò intenderunt evitare scandala, rixas, ac dissensiones inter Episcopos, Capitula, & Clericos hinc inde exorta, quod Episcopi solis dispensatoribus existentibus, bona Ecclesiastica per se indebitè fuerint distributa, cui malo occurrere Pontifices constituendo plures dispensatores optinè ac sufficientissimè potuerit, est hujusmodi dispensatoribus nullum jus in bona dispensanda tribuerent.

40 Minor verò, quod videlicet Pontifices per divisionem bonorum mutando naturam, & eorum transferendo dominium, grave, idemque commune damnum & praedictum causallent Ecclesie, ex hoc ipso liquet, quod quivis Clericus bona superflua Ecclesiastica, quae prius ad Deum, causalque pertinebant, & non nisi pro illis applicari poterant, pro libitu ad causas profanas saltem validè, & sine ullo restitutionis onere expendere, indeque grave damnum Ecclesie, causisque piis inferre posset, hoc ipso, quod cuncta illa bona dictis causis piis in perpetuum decedant, quae a Clerici profane expenduntur; & quae dominio non translato ad ipsorum utilitatem fuissent expensa. Nec juvat, quod Clerici saltem licitè non possint dicta bona ad causas profanas expendere, sed teneantur illa in piis causis applicare; quia non obstant hac obligatione, praedictum praedictum non evitatur; teste etiam ipsi experientia, quae videmus, quod cum maximo, ac continuo Ecclesiarum, causarumque piarum praedictio bona Ecclesiastica superflua ad causas profanas expenduntur a Clericis, non obstant, quod certo sciunt, se id sine peccato mortali facere haud posse.

Hinc sicut à pari dici non potest, non fieri 41 praedictum illi, cui quis auferit rem, sive dominium, ac proprietatem, illudque cum potestate liberè de illa, validè disponendi, alteri tradit, etiam eidem simul obligationem imponit, vi cuius non nisi ad utilitatem illius, cuius res est ablata, rem traditam licitè applicet: ita etiam dici non potest, factum non fuisse praedictum Ecclesie, aut causis piis, si ab eis Pontifices dominium bonorum superfluatorum abstulissent, illudque Clericis cum potestate liberè de illis, validè disponendi tradidissent, est cum obligatione adjuncta fecissent, quod praefata bona non nisi ad utilitatem causarum piarum licitè expendere valeret; praesertim, si finem pro bono communi tunc intantum, etiam absque domini translatione, & inde subsequenti Ecclesiarum praedictio habere poterunt.

Ad fundamenta DD. primae sententiae, & quidem 42 dem ad primum ex Jure deducum, ac num. 24. allegatum respondent DD. sententiae secundae, distinguendo Consequens: ergo Clerici debent praesentes, faciunt fructus suos, & acquirunt dominium illorum, qui sunt necessarii pro honesta eorumdem sustentatione conceditur: illorum, qui sunt superflui, negatur consequentia. Quae responsio planè contemnenda non est; tum quia per illam facillimè negotio solvunt principale Adversariorum fundamentum ex Jure, & Concilio Trident. loc. cit. desumptum. Tum quia conformis est SS. Canonibus, dominium necessariorum sustentationi, ubique concedentibus Clerico; tum etiam quia per illam absque omni absurdo optime concordantur Jura Juribus ad intentionem c. Cum expediat 29. de Elect. in 6. simulque evitatur grave ac commune Ecclesiarum, causarumque piarum praedictum supra n. 40. & 41. demonstratum; levaturque intentio Fundatorum, nullique sequitur vel minimum praedictum, aut damnum, prout consideranti etiam Adversario patet.

Ad Bullam Julii III. Resp. Eam pariter de bonis 43 necessariis, non item de superfluis, necessariae sustentationi loqui: vel si loquitur etiam de superfluis, intelligenda est in casu, quo fructus Ecclesiastici superflui pecuniarii committentur aliis pecuniis Clericorum, ubi per accidens, per commixtionem nempe, acquirunt dominium pecuniarum de novo admixtarum; non verò quasi per factam à Pontificibus divisionem bonorum Ecclesiasticorum, eidem dominium competeret; cum non obstante tali dominio, commixtione per accidens acquisito, adhuc teneantur ex Iustitia, dicta bona superflua in causas piis erogare; si mulque dominio eorum careant in casu, quo aliis pecuniis ipsorum non committentur; ut proin absolute loquendo bene dicatur, quod non sint domini bonorum superfluatorum; cum merè per accidens sit, quod haec necessarii committentur. Sicut à pari, licet Depositarius, Tutor, Curator, fur &c. si pecunias depositas vel pupilli, aut minoris, vel furto ablatas committent propriis pecuniis, acquirant dominium, evadantque domini illarum, tamen absolute loquendo, non dicuntur domini, nec habere dominium illarum, eo quod non per se seu per ipsam depositionem, Tutelam, ac Curatoris officium, vel furto dominium illarum acquirant, sed per accidens, quatenus nempe commixtione pecuniarum alienarum propria acquirunt dominium ejus, manente obligatione ex iustitia tantum restituendi, quantum in simili casu de alienis pecuniis commixtum est propriis. Quod autem Bulla de dicto commixtionis casu intelligenda sit, patet ex verbis ipsius Pontificis, ibidem



ita loquentis: *Si ad eos pervenerint; & cum aliis ipsorum Beneficiorum fructibus commixti sunt* ubi, ut vides, non sufficit ad dominium superfluum acquirendum, quod ad Clericos pervenerint, sed *quod fuerint commixti propriis Clericorum pecuniis*; quia dictio & regulariter copulativa est, ac conjunctiva. *l. Si quis ita. 129. ff. de V. O.*

44 Et per hoc patet etiam responso ad probationem ex ratione desumptam, ejusdemque confirmationem num. 25. & 27. propositam, quod videlicet per accidens, commixtionem nempe, acquirant dominium, dicanturque domini superfluum: manente obligatione ex iustitia dicta bona in causas pias erogandi; quam obligationem sed etiam Adversarius fatetur Layman, qui dictum ex ratione desumptum argumentum aliis contra DD. secundae sententiae proponit.

45 Ad probationem num. 28. propositam negat DD. secundae sententiae Minorem, videlicet, quod sine manifesto, ac sufficienti fundamento imponant onus & obligationem ex iustitia, superflua profane expensa iterum ad causas pias restituendi. Ea propter etiam ad *Regulas Jur.* in 6. adductas, negant suppositum, quod versemur in obsecris, vel in pari causa.

46 Sed obijciunt DD. primae sententiae ulterius; Summi Pontifices, alique Superiores Ecclesiastici validos agnoscunt, hoc ipso, quod non rescindant, sed tolerant Clericorum contractus de redditibus Ecclesiasticis superfluis factos; ergo etiam agnoscunt: Clericos habere eorum dominium: factis enim huiusmodi contractibus utpote cum injuria domini pecuniarum, sicque iniuste factos tenerentur irritate ac rescindere. Resp. negando ant. ad quod contractus huiusmodi a Superioribus Ecclesiasticis non ideo tolerantur, quia validos eosdem agnoscunt, cum multa per patientiam tolerantur, quae si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia, non debent tolerari. c. *Cum jam dudum. 18. de Praebend.* Sed ideo tolerant, & non rescindunt; quia difficultimum, litiumque continuarum occasio foret, velle semper examinare, an hic, vel ille contractus Clerici de bonis merè Ecclesiasticis superfluis, an verò de necessariis aut patrimonialibus, industrialibus vel parsonialibus, consequenter validè vel invalidè factus sit.

47 Obijciunt adhuc: non potest ostendi, sub cuius dominio existant bona Ecclesiastica superflua, vel quoniam eorum dominus sit, si Clerici eorum dominium non habent; ergo. Resp. negando ant. Quia Dominus eorum optimè dicitur esse Christus, non quidem universali illa ratione, quae domini est terra & plenitudo ejus. *Psal. 23.* sed speciali, & quidem hac; quia eidem, ejusque intuitu offeruntur, ac sub nullius alterius dominio existunt. Et ob hanc rationem toties in Jure vocantur *Patrimonium Jesu Christi*, uti c. *Cum secundum de Praebend.* c. *Cum ex eo 34. de Elect. in 6. eadem ratione dicuntur Res Dei. Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. c. 1. Item Pecunia Christi, can. 1. cau. 12. q. 2. ibi: Qui Christi pecunias auferit, fraudat, & rapit. Hinc etiam can. Nulli ead. cau. q. 1. universaliter asseritur: *Omne, quod Domino consecratur* (id est, donatur, ut explicat Glossa hic §. *Consecratur*) *domino erit, & ad jus pertinet Sacerdotum* (intellige quoad necessaria, vel ad jus disponendi, juxta haec tenens dicta) *propter quod &c. qui à Domino, cui competunt, auferit, invadit, vastat, vel eripit, ad restitutionem etiam sub excommunicatione tenetur.* Abbas in c. *Cum secundum 16. n. 4. de Praebend. & alii.**

48 Et sane mirari non debent Adversarii, quod DD. secundae sententiae, quaedam bona, superflua nempe Ecclesiastica constituant extra omne humanum do-

minium, eorumque dominium, solum Deum asserant; quia id ipsum fieri & ipsi debent de bonis ad fabricam, ornatumque Ecclesiarum propriè designatis; eum enim haec bona non sint in dominio Laicorum, uti certum est; nec Clericorum, utpote qui juxta omnes adversarios, illorum tantum dispensatores existunt; neque dominus eorundem sint ipsi lapides & ligna, seu materialis Ecclesia: consequens est, praefata bona in penitus nullo hominum, sed solum Dei, cui, & intuitu cuius offeruntur, dominio existere.

Nec refert, quod bona Ecclesiastica in Jure subinde etiam vocentur *Patrimonium pauperum*, can. 59. cau. 16. q. 1. non nunquam verò dicantur pertinere ad Ecclesiam c. 3. h. 1. Subinde ad *Jus Sacerdotum*, can. Nulli. 3. cau. 12. q. 2. quia uti bene post Innocentium observat Abbas in c. *Cum esses. 10. de Testament. n. 29. Navarus de reddit. Eccles. q. 1. Mon. 21. n. 3. & 4.* Jura intelligenda sunt, bona Ecclesiastica esse Christi quoad dominium, Sacerdotum quoad dispensationem, & administrationem, Ecclesiae verò & pauperum, quatenus ex intentione potentissimae & voluntate Dei: pro Ecclesiae conservatione & ornatu, pauperum autem necessitate expendi debent. His ac similibus itaque argumentis ac fundamentis probant opinionem suam Doctores secundae sententiae.

Quaenam verò ex his duabus sententiis sit vera, 50 quae falsa, consequenter ex praxi unice tenenda, non facile dixerim: quamquam enim prima sententia ob tantam Doctorum auctoritatem damnari vix possit, & nosmetipsi in Theologia nostra Morali *Tract. 7. Dist. 4. n. 28.* cum Theologis à potiori loquentes, eandem ut probabiliorē defendimus: nihilominus certum ac indubitatum est, secundam longè tutiorem esse ac securiorem, imò etiam Juri conformiorem consequenter in praxi cunctis Beneficiariis suadendam praeterim eum Juri fundamentata, quibus DD. primae sententiae praecipue nituntur, à DD. secundae sententiae Juri conformiter faciliter solvantur, uti constat ex dictis n. 42.

## §. III.

De Clericorum obligatione erogandi bona Ecclesiastica superflua in causas pias, pauperes praeterim: ubi etiam de honesta sustentatione Clerici.

## S U M M A R I U M.

- 51 Clerici graviter tenentur, superflua in pias causas erogare.
- 52 Etiam si dicantur domini bonorum Ecclesiasticorum superfluum.
- 53 Clerici tenentur ex Jure Divino superflua in causas pias erogare.
- 54 Consuetudo erogandi superflua in causas profanas illicita, & invalida est.
- 55 Controversia Doctorum, an Clerici ex iustitia, vel alia virtute teneantur superflua in causas pias erogare.
- 56 Probabilis est, eos ex Iustitia teneri. Probatur auctoritate DD.
- 57 Probatur, quod non teneantur ex charitate.
- 58 Nec ex virtute Religionis.
- 59 Quod Fideles bona sua dederunt Ecclesiis haec intentione, conditione, & sine, ut ad causas pias applicarentur, consequenter aliter applicantes contra intentionem dantium, sicque contra iustitiam peccent, probatur usque ad num. 66.
- 66 Causae pia nomine quae veniant?

## §. III. De Clericorum obligatione erogandi bona &amp;c. 415

67 Si qui pauperes in gravi, vel extrema paupertate existant, ut praeter ceteris causis piis, bona superflua erogare debet: probatur ex Jure.

68 Et ratio.

69 Pauperibus, quibus aliunde providetur, non teneatur de bonis superfluis succurrere Clericus.

70 Doctrina practica contra Clericos bona superflua in futurum reservantes.

71 Inter pauperes praefertur magis indigentes. Inter pariter indigentes magis iusti, & ceteris paribus consanguinei praefertur.

72 Clerici non possunt de bonis Ecclesiasticis pauperes, sive consanguineos, sive alios diuare, vel ad majorem statum exaltare.

73 Ceteris paribus potius Ecclesiae propriae, quam piis locis eroganda, vel relinquenda, sunt superflua Clerici.

74 Error aliquorum circa hoc.

75 Si Ecclesia propria non indiget, rectè aliis piis locis egentibus superflua dantur.

76 Honestas sustentatio Clerici, qua dicatur.

77 Doctrina practica.

78 Nobilitas.

79 Et literatis major debetur sustentatio, quam aliis. Literati comparantur Nobilibus. Ibid.

80 In computanda honesta sustentatione attendi etiam potest ac debet circumstantia temporis, & loci.

81 Sicut etiam consuetudo prudentiam, ac imitentium Deum.

82 Hospitalitas quoque, honesta recreatio, ac alia ad sustentationem decentem pertinent.

83 Clerici in computanda sustentatione sua debent esse memores, quod vivunt de patrimonio Christi, & pauperum, sive de Elemosyna.

84 Error circa hoc.

51 Quæritur I. An, & quo Jure teneantur Clerici, bona superflua Ecclesiastica erogare in causas pias? Resp. I. Clerici Beneficarii omnes tam Majores quam Minores, nullo, nec Episcopo excepto gravissimè sunt obligati, cuncta bona Ecclesiastica superflua, seu redditus Beneficiorum superfluos erogare in causas pias, pauperes praeterim, ita ut toties peccent, quoties de praefatis bonis aliquid in causas profanas expendunt, sive dicantur & sint domini dictorum bonorum, sive non. Ita certa ac indubitata omnium DD. tam Theologorum quam Canonistarum, ac etiam SS. Patrum, ut proin probatione non indigeat; *Cum eam* (sunt verba Eminentissimi Cardinalis S. r. d. rati) *omnes Patres, omnes Canones, omnes Leges Divinae, & humanae, ac denique omnes Theologi uno ore profitentur, aed ut haec doctrina non pertineat ad illas sententias, quae problematicae sunt, & in utramque partem disputantur; sed ad eas, quae dogmaticae sunt, nullumque ambigendi locum relinquunt, & in quam omnes Doctores nullo excepto conveniunt.* Et quidem SS. Patres quod attinet, nihil firmius ab eis creditum, nihilque saepius, ac innixius inculcatum, quam, quae viris Ecclesiasticis, de fructibus Beneficiorum superfluis, non posse in causas profanas, ditandove consanguineos, sed in solos pauperum usus, causasque pias impendi. Laudatus pergit Eminentissimus Sfondrati: SS. Canones si spectemus, ii nihil frequentius, nihilque clarius, quam hoc ipsum inculcant; aed ut fieri oporteat, aut nihil SS. Canones probare, aut nihil magis probare, quam conclusionis tenorem. Idem dicit Eminentissimus Sfondrati eandem doctrinam semper tenere Concilia, ut *Hispanense, Cartaginesse, Toleranum, Aquigranense, Lateranense, Tridentinum &c.* Hinc Doctores, Theologos, & Canonistas conclusionem tenentes specificè

allegare operosum nimis ac superfluum foret; hoc ipso, quod eam tradant, omnes, quicumque de hac materia tractant.

Dicitur notanter in Conclusionè, *sive dicantur* 52 *& sint domini dictorum bonorum, sive non;* quia omnes etiam illi, qui Clericis bonorum superfluum dominium tribuant, fatentur Clericos nihilominus graviter obligari ad eroganda bona praefata superflua in causas pias; eò quod (aunt) dominium dictorum bonorum sit illis concessum cum tacito vel expresse onere erogandi in causas pias: ut proin Clerici superflua in causam profanam expendent, à peccato minime sint immunis per hoc, quod dicant se adherere sententiae docentium, Clericos bonorum superfluum dominos esse.

Resp. II. Clericorum obligatio bona superflua Ecclesiastica in causas pias erogandi est etiam Juri Divini, ut proin contra eam omnis introducta consuetudo invalida sit, & illicita. Ita Layman *lib. 4. tr. 2. cap. 3. n. 2.* Pirkhing. de *Testament. n. 42.* Molina *Disp. 147. n. 31.* & communissima aliorum, ita ut Valquez opusculo de *Elemosyna c. 4. n. 12.* testetur: *nullum legi, qui assereret, Jure tantum humano ad id teneri, cui per consuetudinem derogari possit, sed omnes asserunt ad hoc Clericos teneri Jure Divino, & naturali.* Eisdem sententiae in Theologia nostra Morali *Tract. 7. Dist. 4. n. 34. ad finem.* item *Tract. 8. Dist. 3. n. 54.* jam adhaesimus. Ratio est: tum quia juxta omnes, Clericus bona Ecclesiastica ad causas profanas applicans, peccat vel contra charitatem, vel contra Religionem, vel contra iustitiam; & consequenter etiam contra Jus Divinum. Tum quia fideles dantes, & offerentes bona sua Ecclesiis, piis locis, hac intentione & sine, hocque tacito vel expresse pacto ac onere dant, ut non nisi ad Dei gloriam & honorem, cultumque Divinum, in usus, & causas pias convertantur. *arg. can. Pontifices 3. cau. 12. q. 3. & can. Apostolicos. 13. ead. cau. q. 2.* consequenter Clerici ad causam profanam praefata bona applicantes, contra intentionem & finem dantium, patiumque expressum, vel tacitè iniuriam agunt; taliter autem agere, esse contra Jus Divinum agere nemo dubitat.

Resp. III. Consuetudo passim vigens, bona superflua Ecclesiastica in causas profanas erogandi, non tantum illicita, sed & invalida, ac pessima corruptela est. Haec conclusio necessariò sequitur ex praecedenti, eamque tenere debent omnes illi, qui praecedentem amplectuntur, si consequenter docere volunt. Ratio manifestè patet; quia hoc ipso, quod talis consuetudo sit contra Jus Divinum, etiam illicita aique invalida est; cum juxta omnes quævis consuetudo contra Jus Divinum vel naturale militans, non tantum illicita, sed & invalida, aique verissima corruptela sit, textu claro c. *fin. de Consuetud.* Quod magis adhuc dicemus infra *Tir. 26. de Testament. §. de Testamentis Clericorum*, ubi singulariter examinabitur. Quæstionem illam, an vi consuetudinis Clerici validè testentur; item an dari possit consuetudo, quae sit valida, & non licita.

Quæritur II. An ex virtute Iustitiae teneantur 55 Clerici bona superflua erogare in causas pias, ita ut in causam profanam expendent teneantur ad restitutionem? Ante responsum notandum, huius quaestio decisionem potissimum dependere ex resolutione illius quaestio, an Clerici sint domini suorum reddituum. Unde sicut de hoc, ita etiam de illo quaestio magna est controversia inter DD. Illi namque, qui docent, Clericos non habere dominium bonorum superfluum, docent etiam consequenter, eos teneri ex iustitia, dicta bona erogare in causas pias, obligarique ad restitutionem, si quid in



causas profanas expendant. Illi vero, qui dominium praefatorum bonorum Clericis concedunt, a potiori docent, memoratam obligationem bona superflua erogandi in causas pias, non ex iustitia, sed vel ex charitate, vel ex Religione procedere, consequenter ad restitutionem non teneri Clericos, si quid in causas profanas erogant. Quod idem etiam in Theologia nostra Morali Tract. 7. Diss. 4. n. 24. docuimus. Verum quia §. praeced. n. 50. iam facti sumus, sententiam Clericis dominium bonorum superfluum negantem, non tantum in securiorem, sed etiam SS. Canonibus conformiorem esse, hinc mutata illa, quam in Theologia Morali pro Theologis potius, quam Iuristis dedimus, sententia, consequenter.

56 Resp. Sententia docens, Clericos ex iustitia teneri, superflua bona Ecclesiastica erogare in pias causas, simulque ad restitutionem obligari, si quid in causas profanas expendant, non tantum tutior ac securior, sed etiam SS. Canonibus conformior, ac probabilior, indeque in praxi omnino suadenda & amplectenda est. Probatur Conclusio primo Auctoritate Doctorum. Nam imprimis hanc sententiam docent omnes Doctores qui Clericis dominium bonorum superfluum denegant, quos supra n. 30. iam citavimus, inter quos Eminentissimus Cardinalis Sfondrati de Conclusionibus ita loquitur: Veritas huius conclusionis, si ex SS. Canonibus, sententiaque omnium Patrum, hoc est, ex principiis verae Theologiae petenda est, certissima erit, nullumque dubium admittit: sed hodierna die, alia docendi ratio invaluit: cum enim aut piget Patres, Canonesque evolvere, quod arduum, delicatisque Scripioribus molestum est, aut non liceat eorum sententias amplecti, quippe plerumque cupiditati adversa, & ad severitatem Evangelicam compuestas, id est alia Theologiae methodus inventa est. Petrus Soto ob insignem qua fulgebat, pietatem, & Doctrinam Confessarius Caroli V. Imperatoris in Tract. de vita Sacerdotum in principio, sic ait: Constat ex decursu totius Ecclesiae ab Apostolis & ipso Jure divino, omnia bona (intellige superflua) pauperum esse, nec ulla ratione, aut potestate humana posse in alios usus transferri, quam Ecclesiasticorum & pauperum; & contrarium credimus errorem gravissimum saltem contra bonos mores, & iustitiam: quidni etiam contra Scripturam. Tanner Tom. 3. Diss. 4. de Iustitia allerit: Sententiam hanc multo esse probabilior, imo speculative, & ex propriis principiis unice veram. Archidiaconus Canonista celeberrimus in c. Statutum. §. Assessorum, de Rescript. in 6. dicere non dubitavit, contrariam opinionem esse Juris haeresin. Paulus Comitulus iudicat, contrariam opinionem esse novam ac periculosam post mille & quingentos annos in Christi Ecclesia inventam. Eandem sententiam tenet Felinus in c. Postulasti. de Rescript. in 6. Layman lib. 4. tract. 2. cap. 3. Dionysius Carthusiensis. Joan. de Ligua, Pisanus, Gandavensis, Petrus de Ubaldis, ac plurimissimi, imo fatentibus ipsis Adversariis ferme omnes Canonistae & Theologi antiqui, qui tot tantique Doctores, si non superant, certe adaequant auctoritatem Recentiorum caeteroquin celeberrimorum Doctorum.

57 Probatur Conclusio secundum rationem. Omnes DD. etiam Adversarii fatentur, Clericos superflua in causam profanam expendentes gravissimè peccare; atqui hoc solide probare vix possunt, nisi dicant praesatis Clericis etiam contra iustitiam peccare; ergo. Major est indubitata. Minor probatur. Quiritur enim, si contra iustitiam delinquant dicti Clerici? Contra quam aliam virtutem delinquant dicti Clerici? Respondet Fagnanus in c. Si quis sane n. 1. h. t. cum aliis, eos peccare contra solam virtutem charitatis, & misericordiae. Sed contra est quod Lex charitatis & misericordiae erga pauperes sub mortali non

obliget, nisi adsint pauperes in extrema, vel gravi necessitate constituti, iuxta communissimam & certam Theologorum. Potest autem contingere, quod in quibusdam locis, vel Provinciis nulli reperiantur pauperes gravem vel extremam paupertatem patientes, vel si qui sint, quod eis per Magistram aut aliunde sufficienter provideatur: in quo casu dici non potest, quod Clerici graviter teneantur ex charitate & misericordia erogare bona superflua pauperibus; & tamen adhuc mortaliter peccant, si quid notabile de praesatis bonis in causas profanas expendant: ergo contra aliam virtutem, quam charitatem & misericordiam.

Hinc Lugo Diss. 4. de Iustit. & Jur. Sect. 2. n. 16. 58 & seq. cum aliis respondet, eos peccare solummodo contra virtutem Religionis. Sed contra. Quiritur, cur peccent contra virtutem Religionis? Respondet Lugo; quia bona Ecclesiastica iuxta Concilium Trident. & SS. Canones Res Dei sunt, quas in profanos usus expendere sacrilegium est. Sed quiritur ulterius: quare sint, & dicantur Res Dei? Respondet; quia a fidelibus hoc sine, intentione, ac conditione data sunt, ut ad cultum Divinum, causaeque pias impendantur. Verum ex hac ipsa responsione immediate sequitur, praesatos Clericos etiam contra iustitiam peccare, hoc ipso, quod bona superflua profane expendendo, contra finem ac intentionem dantium ac Fundatorum expendantur; uti magis patet ex argumento sequenti, quo

Probatur Conclusio tertia: Quandoquocumque alicui sine cum, sive sine translatioe dominii quid datur, aut donatur sub certa conditione, intentione ac sine, tenetur donatarius ex iustitia vel conditionem ac intentionem, sub qua datum accepit, adimplere, vel restitutionem facere, v. g. donat quis alteri certam quantitatem pecuniae hac conditione, ac sine, tacitoque vel expresse pacto, ut quantum sibi pro aliquo itinere faciendo necessaria fuerit, inde sumat, reliquam vero in pauperes vel pias causas expendat, tenetur donatarius ex iustitia, ut vel conditionem ac intentionem a donante praescriptam adimpleat, residuumque illud pauperibus distribuat, vel aliter impendens restitutionem faciat, arg. l. 1. & 2. c. de Donat. qua sub modo, vel conditione. Atqui fideles dando & offerendo bona temporalia Ecclesiis, piisve locis, semper hac intentione, conditione, & sine, pactoque tacito vel expresse dant, ut non nisi ad Dei cultum, causaeque pias (inter quas etiam est honesta Clericorum sustentatio) applicentur; ergo Clerici, locorumque Sacrorum Rectores dicta bona accipientes, tenentur ex iustitia, eas ad causas pias applicare, consequenter aliter applicantes restitutionem facere. Major est certa, & patet ex citatis Legibus, concediturque ab ipsis Adversariis.

Minor, in qua cardo vertitur, probatur ex SS. Canonibus, ubi redditus Ecclesiastici ideò in pauperes, aliaive causas pias erogare iubentur; quia hac conditione, sine ac intentione a fidelibus oblata sunt. Sic namque can. Pontificis. 3. cau. 12. q. 3. habetur: Ille, qui donat, pro redemptione anime sua, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur. & can. Apostolicus. 13. cau. 12. q. 2. declaratur, redditus Ecclesiasticos ad (Ministorum) propriam utilitatem (honestam nempe sustentationem) & ob eam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse. Hinc ibidem aliter bona expendens Clericus deponi iubetur, ut praevicator Divinarum Legum, & praepertorum can. Quia iuxta. 59. cau. 16. q. 1. narratur de Carolo IX. Francorum Rege; quod

quod ob res Ecclesiarum ablatas non tantum in aeternum sit damnatus, etiam Angelo revelante, in inferno desectò recipiat penas propter peccata omnium, qui res suas & facultates in honore, & amore Domini ad Sanctorum loca in luminaribus Divini cultus, & alimoniis Servorum Christi, ac pauperum pro animarum suarum redemptione tradiderant. Ex quibus verbis utique manifestè patet finis, ac intentio, ob quam fideles bona sua locis sacris offerunt. Idem constat ex verbis Urbani Papae relatis in Breviario Romano 25. Maii, ibi: Ipsae res fidelium, quae domino offerunt, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos, & Christianorum, & indigentium converti (ratio ad propositum serviens additur) quia sunt vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum. Idem habetur can. Indignè. 21. cau. 12. q. 2. cum Concordantiis.

61 Probatur ulterius eadem Minor principalis, videlicet, quod fideles hac conditione, sine, ac intentione, bona sua conferant Ecclesiis, ut non nisi ad causas pias, cultumque, & honorem Divinum applicentur, sequenti argumento. Omnes fideles tam praesentis, quam antiqui temporis, dando, & offerendo bona sua Christo, Sanctis, Ecclesiis, locisque piis voluntur, ac intendunt facere opus pium ac meritorium pro anima sua, arg. citatis, & multis aliis Juribus, ubi propterea res ab eis oblatae vocantur *Vota fidelium*, ac *pretia peccatorum*, can. Quia iuxta. 59. cau. 16. q. 1. & dicitur pro redemptione anime sua, can. Pontificis. 3. cau. 12. q. 3. Item pro remedio peccatorum vel salute, & requie animarum suarum &c. ergo tacite, vel expresse etiam voluntur, ut in pios usus converterentur: sedis namque bonum opus non fecissent, nec meritum aliquod pro remedio peccatorum, vel salute & requie animarum suarum habuissent: sicut omni merito apud Deum careret, nec opus bonum aliquid, sed potius malum, vel certe profanum faceret, qui Clerico, vel Religioso, Ecclesiae, vel Monasterio bona aliqua temporalia nullà habita pietatis consideratione conferret, dandoque concederet, quod accipientes, vel Rectores eorum, praesata bona convertere ad superfluum pompam, excessiva convivia vel aedificia, ditandos sanguineos, vel alios similes malos, aut indifferentes usus applicare possent; ut cuius consideranti patet.

62 Probatur insuper memorata Minor principalis ex ipsa confessione Adversariorum, utpote communiter fatentium, bona Ecclesiastica ideò vocari etiam *Res Dei*, *Patrimonium Christi*, & *pauperum*; quia hac intentione ac sine a fidelibus oblata sunt, ut ad Dei gloriam & cultum, pauperumque sublevamentum applicentur.

63 Confirmatur eadem Minor. Nisi dicatur, Christi Fideles hac conditione, intentione ac sine, tacitoque vel expresse pacto bona sua contulisse piis locis, ut non nisi ad pios usus converterentur; consequenter aliter applicantes contra finem ac intentionem dantium, indeque contra iustitiam peccent, & per consequens ad restitutionem obligentur, nullum amplius superesset Adversariis fundamentum dicendi, quod Clerici bona superflua ad causam profanam impendentes illicitè agant, vel peccatum aliquod mortale committant. Cum enim iuxta ipsos Clerici praefatorum bonorum sint domini, & iuxta hypothesin ex intentione Fundatorum illa ad pias causas convertere non teneantur, nihil amplius obstat, quo minus tanquam domini de rebus suis ficti Laici pro libitu validè ac licite disponere possint. Quod tamen est contra omnes.

64 Nec valet, quod aliqui dicunt, Clericos nihilo-

minus vi praeperti Ecclesiae teneri bona superflua ad usus pios convertere, consequenter ad causam profanam applicantes adhuc peccare. Nam contra est: tum quia si solo Jure Ecclesiastico teneantur Clerici, possent Papa dispensare, quod tam in vivis, quam mortis causa possent Clerici cuncta bona Ecclesiastica ad causas profanas applicare: possent etiam consuetudo introduci, imò jam esset introducta contra dictam obligationem; cum contra Leges humanas licita & valida sit consuetudo legitimo tempore praescripta, c. fin. de Consuetud. Quod tamen utrumque est contra ipsos Adversarios. Tum quia sequeretur, erogare bona Ecclesiastica in causas profanas esse solummodo malum, quia in Lege Ecclesiastica prohibuitur, non verò prohibitum, quia malum: cum tamen omnes Canones, ipsique Concilium Tridentinum, illud per se jam malum supponant, ac se se in Jure Divino, ac naturali fuisse, ideò prohibentes, ne Clerici bona Ecclesiastica ad causas profanas applicent; quia sunt *Res Dei*, *patrimonium Christi*, & *pauperum*, *vota fidelium*, & *pretia peccatorum*.

Objectiones, quas faciunt Adversarii contra hanc Conclusionem ferunt eadem, quae supra num. 42. sunt aliate contra sententiam dicentem, Clericos non esse dominos reddituum superfluum; item & fundamenta, quibus Adversarii probare nituntur, Clericis praefatorum bonorum dominium competere; quia verò ad hac responsum jam est ibidem, Lectorem illic remittimus.

Quiritur III. Quid nomine causarum piarum veniat, & quo ordine in eas bona superflua erogare teneantur Clerici? Resp. I. Nominè causarum piarum veniunt omnia loca, ac instituta pia, qualia sunt Ecclesiae, Monasteria, Hospitalia, Nofocomia, Confraternitates &c. Item pauperes omnes non tantum si, qui carent necessariis vitae aut naturae, sed etiam qui necessaria vitae habentes, egent necessariis ad decentem sustentationem, iuxta qualitatem & conditionem sui status; quales esse possunt etiam Nobiles, Barones, Comites, imò & Principes, qui non ob excessivam pompam, & luxum, nec ob malam dilapidationem, nec ob aliam culpam propriam, sed ex infortunio, vel casu aliquo, incendio, ruina, bello, multitudine prolium &c. egent necessariis statui, aut conditioni suae. Ita communis signanter Sanchez lib. 2. cap. 2. dub. 28. n. 11. Navarrus de Reddit. Eccles. q. 1. mon. 26. & 27. Lugo de Iustit. & Jur. Diss. 4. Sect. 3. n. 27. Molina & alii. Et quidem de locis piis constat ex Tir. de Religios. domib. item ex can. Pulchra. 18. dist. 86. ibi: Maxime Sacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum honore congruo, ut etiam hoc cultu Aula Domini respiciat. De Pauperibus verò innumeri erant Textus in Jure ut can. Aurum. 70. can. Gloria. 71. cau. 12. q. 2. item can. Consideranda. 17. dist. 86. ubi expresse etiam de iis fit mentio, qui divites, vel Nobiles ad egestatem absque proprio vicio perveniunt.

Resp. II. Quamvis Clericus obligationi suae satisfaciat, si ceteris paribus bona Ecclesiastica superflua in aliquem ex dictis causis piis erget, nihilominus pro diversitate circumstantiarum, tenetur etiam inter dictas causas servare ordinem, ita ut uni potius, vel prius succurrere, eique bona superflua Ecclesiastica dare debeat quam alteri. Et quidem, si de praesenti existant pauperes, in gravi vel extrema necessitate constituti, iis omnium primò succurrere tenetur, adeò, ut non satisfaciatur conscientiae, si iis negligis, bona sua ad alias causas pias applicet, nisi sciat, dictis pauperibus aliunde jam sufficienter provideri. Ita com.